

Franckesche Stiftungen zu Halle

Io. Anast. Freylinghsii, Pastoris Vlriciani Et Gymnasii Scholarchae, Fvndamenta Theologiae Christianae, In Doctrinis Fidei Ex Verbo Dei Perspicve ...

Freylinghausen, Johann Anastasius

Halis Magdeb., MDCCLXXV.

VD18 13062689

Articulus Decimus Sextus De Fide.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-206191

246 Part. II. Art. XVI.

eis contigit, laudibus concelebrare, Luc. XV, 7. 10. Gal. I, 24.

§. XII.

Quod-
nam sola-
tium?

Solacium est, (1) quod Deus resipiscen-
tiam ad vitam dare, seu per Spiritum suum
sanctum in omnibus, ipsi haud malitiose re-
pugnantibus, efficere velit, vid. supra §. IV.
(2) quod pœnitentibus peccata sua et pœnas
peccatorum condonare, eosque omnibus
gratiæ ac salutis bonis beare in Christo velit,
Prou. XXVIII, 13. Pf. XXXII, 5. Ies. I, 16-18.
LV, 6. 7. Ion. III, 10. Matth. V, 3. 4. XI, 28.
XVIII, 27. 1 Io. I, 9. Luc. VII, 48. XV, 20.
sq. XVIII, 14. (3) quod, licet mundus, nobis
ad frugem redeuntibus, fremat et indigne-
tur, Deus tamen et omnia, quæ Dei sunt in
cælo atque in terra, exhilarantur. Luc. XV. tot.

ARTICVLVS DECIMVS SEXTVS

DE

F I D E.

§. I.

Altera
pars pœ-
nitentiæ
quænam?

Altera eaque præcipua pars pœnitentiæ,
vti iam supra monuimus, est *fides*,
de qua igitur in hoc articulo agen-
dum est distinctius.

§. II.

Vocabu-
lum fidei
quid si-
gnificat?

De vocabulo *fidei* ante notandum est,
quod interdum significet *vniuersam religionis*
christianæ doctrinam, speciatim prima eius
ca-

capita, quæ vulgo dicuntur symbolum apostolicum; quo sensu in hoc articulo non accipitur, utpote in quo fides *diuinum* illud et *caeleste lumen* denotat, quod per euangelium in animo resipiscente et contrito efficit Spiritus sanctus, et per quod diuinam gratiam in Christo Iesu agnoscimus et acceptamus.

§. III.

Hanc vero fidem nemo ab natura habet; Fides
nec quispiam propriæ rationis viribus eam unde?
consequi potest, 1 Cor. II, 14. Eph. IV, 18. Rom. III, 11. 17. Si quis igitur, quum euangelium audit, ipse sibi propriis viribus vagam cogitationem in animo fingit, et se credere adfirmat, non est vera fides, uti quidem opinatur, sed (ut B. LUTHERI verba habent in præfatione in epist. ad Romanos) frigidum figmentum est, et humana cogitatio, quæ cor nihil nouat, nihil adficit, quam nulla etiam noua vita, nulla opera fidei sequuntur. Contra *fides est diuinum opus*, siue *operatio Dei triuinus*, Θεὸς τὸ δῶρον, Dei donum, Eph. II, 8. _ gratuito nobis datum (ἐχαρίσθη) Phil. I, 29. Rom. I, 8. Ita speciatim *Pater τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως αὐτοῦ*, excellentem potentiae suæ magnitudinem, in eo patefacit, quod fidem operatur pro sui egregii roboris virtute, quam exseruit in Christo, cum ex mortuis suscitando, supra omnia exaltando, et omnia ei subiiciendo. Eph. I, 19. seq. Col. II, 12. Vid.

Q 4

etiam

etiam Io. VI, 29. 44. 45. *LVTHERVS* Comment. in 1 Petr. Tom. V. Witteb. fol. 443. a. (Tom. II. Alt. fol. 410. a.) „*Neque enim tantum voluntatis Dei est, sed virtus quædam, ut credamus, propter quod, tantum scilicet, ubi etiam non minoris momenti fuerit, fidem in quopiam condere, atque denovo creare cælum et terram.*” *Christus* est dux perfectiorque fidei, Hebr. XII, 2. vita et lux hominum, Io. I, 4. quæ sub penitentia laborantibus paternum Dei animum per euangelium aperit, Matth. XI, 27. 28. Nemo etiam est, qui Deum possit Patrem, Rom. VIII, 15. et Iesum Dominum dicere, nisi per *Spiritum sanctum*, 1 Cor. XII, 3. qui hinc Spiritus fidei vocatur, 2 Cor. IV, 13. Vid. supra Part. I. Art. VII. §. X. et Part. II. Art. V. §. II. et §. V. nec non *LVTHERI* expositio articuli tertii symboli apostolorum.

§. IV.

Per quod-
nam me-
dium De-
us fidem
operatur?
Medium, per quod Deus ordinarie fidem operatur, *verbum est euangelii*, Io. XVII, 20. Rom. X, 14. 15. 17. 1 Cor. I, 21. per quod etiam postea nutritur et corroboratur, Phil. com. 6. vnde illud non modo *semen*, 1 Petr. I, 23. sed *lac* etiam est et vocatur, c. II, 2. Ministri noui testamenti, quibus illud adnuntiandi datum est negotium, in efficienda fide vt Dei *συνεργοί*, adiutores, spectandi sunt. Io. I, 6. 7. 1 Cor. III, 5. 9. 2 Cor. IV, 6. Rom. I, 11. 12.

§. V.

§. V.

Quemadmodum ut siue fide placeatur Num om-
Deo obtineaturque salus, fieri non potest; nibus ho-
Hebr. XI, 6. Marc. XVI, 16. Io. III, 18. 36. minibus
nemo autem ad fidem per se indoneus est: sufficientes vires
ita omnibus hominibus sufficientes vires cre- credendi
dendi a Deo per euangelium offeruntur, Act. offerun-
XVII, 31. 1 Tim. II, 4. nulli autem eas acci- tur?
pere possunt, nisi qui ab operibus mortuis
respiscunt, et Spiritus sancti gratiæ morose
non resistunt, Eph. V, 14. Marc. I, 15. Qui
autem tenebras magis quam lucem amant,
sua culpa ad fidem inepti manent, Io. III,
18. 19. 2 Tim. III, 8. Ceterum non solos
adultos, sed infantes etiam et paruulos fidei
capaces esse, docet Christus Matth. XVIII, 6.
Marc. IX, 42. X, 14. Vid. etiam Matth,
XXI, 16. Luc. I, 15.

§. VI.

De natura et indole fidei notandum, quod De natura
ad eam requiratur (1) notitia, speciatim et indole
Christi et beneficiorum eius; per quam fidei quid
autem non mere naturalis et historica articu- notan-
dum?
lorum fidei scientia, sed viuæ et spiritualis
cognitio intelligitur, ex illuminatione Spiritus
sancti per verbum oriunda, Io. VI, 69. XVII,
3. Luc. I, 77. 2 Cor. IV, 6. (2) ad sensus iis,
quæ quis in lumine Spiritus sancti cognouit,
tamquam indubitatis, certis ac veris præ-
bendus, et similiter ex operatione et obfi-
gnatione Spiritus sancti oriundus, Act. VIII,

37. 1 Io. V, 6. (3) *fiducia*, itidem a carnali illa securitate, qua quis respiscere nescius gratiam Christi sperat, nec de salute sua dubitat, sollicitè distinguenda, in eo autem sita, ut iis, quæ generatim de Deo cognoscimus et adsertione adprobamus, speciatim patefactæ in Christo gratiæ, ex qua peccata nobis remittere, iustitiam et vitam sempiternam dare vult, per Spiritus sancti virtutem firmiter innitatur, Hebr. XI, 1. *LV THERVS* Præfat. in epist. ad Romanos, Tom. V. Witteb. fol. 97. b. „*Fides est fiducia constans misericordiæ Dei erga nos in corde viuens et effusaciter agens, qua proicimus nos toti in Deum et permittimus nos Deo, qua certo freti non dubitemus millies mortem oppetere. Et hæc tam animosa fiducia misericordiæ Dei cor exhilarat, erigit et excitat rapitque dulcissimis quibusdam adfectibus erga Deum, animaturque sic cor illud credentis, ut Deo fretus non reformidet se solum opponere omnibus creaturis. Hoc ergo pectus heroicum, hos ingentes animos indit cordi Dei Spiritus, qui datur per fidem.*“ Huc proinde spectat specialis gratiæ illius adplicatio, Gal. II, 20. *LV THERVS* in dictum Gal. I, 4. 5. Tom. VII. Alt. fol. 24. b. „*Hoc facile a te impetraueris, ut Christum Dei Filium, pro Petri et Pauli aliorumque sanctorum, qui ista gratia digni fuerunt, peccatis traditum esse adseras. Contra ea admodum difficulter, tamquam miser,*
„*in-*

„indignus ac damnatus peccator ex toto animo
 „credideris, et sine ulla dubitatione statueris,
 „Christum Dei Filium pro tuis peccatis, multis
 „quidem, magnis et gravibus, esse traditum,
 „quum tamen ista gratia nunquam dignus
 „factus sis, hic, inquam, labor, hoc opus est.,
 Item Comment. in Gen. XXII, 16. Tom. VI.
 Witteb. fol. 311. a. (Tom. IX. Alt. fol. 622. b.)
 „Ibi explora animum tuum, an credas, Deum
 „esse tuum Deum, patrem, saluatorem et libera-
 „torem, qui velit te ex peccatis tuis et morte
 „eripere, et si sentis, te adhuc vacillare aut hesi-
 „tare, cogita, quomodo quotidiano et assiduo usu
 „verbi Dei illam dubitationem emendes., Simi-
 liter requiritur, ut homo in illis etiam rebus
 soli promisso Dei confidat, in quibus ratio pe-
 nitus desperat. Rom. IV, 18. sqq. Hebr. XI, 1. sqq.

§. VII.

Fides in his omnibus certos gradus ad-
 mittit, ita, ut non solum notitia, sed ad-
 sensus etiam et fiducia in aliis firmior sit,
 quemadmodum ex discrimine, quod inter
 infirmos et firmos fide, Marc. IX, 24. Rom.
 XIV, 1. sq. XV, 1. statuitur, apparet. Vbi
 simul notandum est, quod, uti *infirmas fides*
 vera fides est, et diuinam gratiam partici-
 pat; ita omne solatium, quod quis inde ca-
 ptat, fallax et inane sit, si peccato feruiat,
 amoremue sæculi in se regnare sinat. In tali
 enim homine fides infirma locum vllum ha-
 bere nequit, quæ, ubicumque est, animum
 pur-

An fides
 etiam
 gradus
 admittit?

purgat et mundum abnegat. Neque verò fides semper infirma manere, sed *incrementum* capere debet, 2 Theff. I, 3. Philem. com. 4. quod maxime quidem sedula euangelii tractatione et meditatione (qua dere supra §. IV.) tum etiam frequenti sacrae cœnæ usu et assiduo precum exercitio, Luc. XVII, 5. 2 Theff. I, 11. 12. Marc. IX, 24. Matth. VII, 7. 8. generatim autem fida acceptæ gratiæ adplicatione, Matth. XIII, 12. 1 Tim. III, 13. et speciatim variis afflictionibus et tentationibus efficitur, 1 Petr. I, 6-7. 2 Theff. I, 3. 4. 2 Cor. XII, 9. 10. Hebr. XI, 34. Cum incremento fidei incrementum quoque caritatis et reliquarum vitæ spiritualis virium omnium coniunctum est, 2 Petr. I, 5. 6. 7. 2 Theff. I, 3. 4. sicuti hæ ipsæ deficiunt et cessant, deficiente et cessante fide.

§. VIII.

Denique *fides vim ac virtutem* habet et *iustificantem et sanctificantem*. Illa (vis iustificans) in hoc sita est, quod per fidem peccatorum remissionem et gratiam Dei consequimur. Non autem hæc ipsa fidei competit, quatenus virtus est, sed quatenus Christum adprehendit et accipit, vid. supra Part. II. Art. VII. §. V. Vnde locutiones sunt æquipollentes, quando scriptura dicit, nos iustificari per fidem, vel nos iustificari per iustitiam et obedientiam Christi; item, iustitiam Christi nobis imputari, vel
fidem

Quotuplex fidei virtus?

Virtus eius iustificans in quo consistit?

fidem nobis imputari ad iustitiam, Rom. III, 24. 25. 26. c. IV, 2. 3. 5. 6. 16. Gal. II, 16. *Hanc* (vim sanctificantem) in eo demonstrat fides, quod animum purificat, Act. XV, 9. in eoque imaginem Dei in sanctitate et iustitia instaurat. cap. XXVI, 18. Rom. III, 31. *LVTHERVVS* Comment. in Gen. XII, 4. Tom. VI. Witteb. fol. 153. b. (Tom. IX. Alt. fol. 307. b.) „*Est fides res viuax et potens, non est notiosa cogitatio, nec innatat cordi, sicut anser aque, sed sicut aqua igni calefacta, etsi aqua manet, tamen non amplius frigida, sed calida, et prorsus alia aqua est. Ita fides, Spiritus sancti opus, aliam mentem et sensus alios fin- git, ac prorsus nouum facit hominem.*“ Hæc vis et virtus ideo fidei competit, quia Christus habitat per fidem in animis nostris, Eph. III, 17. et nos per eandem tam arcte cum ipso vnimur, quam palmites cum vite vniti sunt; vbi fides ex Christo spiritualis vitæ succum trahit, per quem, quidquid præterea vere bonum est, quasi protrahitur, Io. XV, 4. 5. 2 Petr. I, 3. sqq. Iac. II, 17. 20. 22. Ita ex fide fluit amor in Deum et Christum, Gal. V, 6. Luc. VII, 47. plenus fiduciæ aditus ad Deum, Rom. V, 1. 2. Eph. II, 18. Hebr. IV, 16. X, 22. confessio ac laus Dei, Rom. X, 10. 2 Cor. IV, 13. obtemperatio diuinis præceptis, 1 Io. II, 3. III, 22-24. V, 2. 3. Hebr. XI, 7. 8. 17. patientia etiam in perferendis pro Deo aduersis, Phil. I, 29. Hebr.

Virtus
sanctifi-
cans in
quo?

Hebr. XI, 24-26. 35. Iac. I, 3. Fides itidem
 amorem in alios operatur, 1 Io. IV, 7. 8.
 Iac. III, 17. 18. sensum caelestem, Col. III, 1. 3.
 victoriam de mundo, 1 Io. V, 4. et sincerum
 studium purgandi se ab omni et corporis et
 animi labe, sanctimoniaque perfungendi
 cum Dei metu, 2 Cor. VII, 1.

§. IX.

Quod-
 nam offi-
 cium no-
 strum se-
 cundum
 hanc do-
 ctrinam?
Officium nostrum secundum hanc doctri-
 nam est, (1) nos ipsos studiosè perterritare,
 an simus fide præditi, 2 Cor. XIII, 5. (2)
 Deum de efficienda augendaque in nobis
 fide submisit etiam atque etiam rogare,
 Luc. XVII, 5. Marc. IX, 24. 2 Thess. I, 11. 12.
 Matth. VII, 7. 8. *LVTHERVS* Præfat. in ep.
 ad Romanos, Tom. V. Witteb. fol. 98. a.
 „Ora tu Deum, qui iussit verbo e tenebris lu-
 cem splendescere, ut ille elucescat in corde
 tuo, et fidem in te creet, alias numquam cre-
 des, etiamsi mille annis talibus cogitationibus
 fingendis fidei adquisita aut acquirenda stu-
 deas.“ (3) Spiritui sancto ad efficiendam in
 nobis veram pœnitentiam, sine qua fides
 saluifica esse non potest, locum relinquere,
 Marc. I, 15. (4) Fide Christum non solum
 ut iustitiam nostram, sed etiam ut sanctita-
 tem seu sanctificationem accipere, vid. §. VIII.
 (5) Fidem nostram per caritatem et varia
 bona opera efficacem demonstrare: liqui-
 dem sine hac fides mortua, nec veræ indolis
 est, Gal. V, 6. Tit. III, 8. 2 Petr. I, 5. Iac. II,

14. seq. 1 Io. II, 4. (6) Operam dare, vt in fide crescamus et proficiamus, mediisque eo facientibus fideliter vti, vid. §. VII. (7) Certare præclarum fidei certamen, neque adeo permittere, vt vel huius vitæ calamitatibus, vel amore sæculi ad defectionem commoueamur et a fide reuocemur, 1 Tim. I, 18. 19. VI, 9. 10. 12. Hebr. III, 12.

§. X.

Solatium est, (1) quod Deus ipse fidem *Solatum* omnibus exhibeat, adeoque eam efficere et quod- augere velit, vid. §. III. et V. (2) quod per ^{nam?} fidem non tantum ab omni miseria et infelicitate liberemur, sed pretiosissimorum etiam et maximorum bonorum participes reddamur, Io. III, 16. 18. 36. V, 24. XI, 25. 26. Marc. XVI, 16. (3) quod nulla res sit, quam fides facere non valeat, quippe quæ precibus a Deo omnia, quæ promissit et pollicitus est, impetrare potest, Marc. IX, 23. XI, 24. Iac. I, 6. (4) quod per fidem mundum, eiusque principem, diabolum, vincere, omniaque eius tela ignea exstinguere possimus, 1 Io. V, 4. 1 Petr. V, 9. Eph. VI, 16. (5) quod Deus fidei nostræ imbecillitatem tolerare eique per Spiritum sanctum succurrere velit, Matth. XII, 20. Rom. VIII, 26. (6) quod Christus, maxime quidem grauis tentationis tempore, pro nobis oret, ne nos fides deficiat, Luc. XXII, 32. (7) quod fidem tandem intuitus sequuturus sit, nosque re-
por-